

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. No. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)


—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7





Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO VI.

De

CONFIRMATIONE.

PRO SECUNDA PARTE

EXAMINIS CONCILII TRIDEN-

tini Reverendi & clarissimi viri, Dn. D.

MARTINI CHEMNITII:

Tribus absoluta capitibus.

- I. Sententia Pontificiorum de Confirmatione.
- II. Fundamentis, quibus suam Confirmationem probare conantur.
- III. Refutatione Confirmationis Pontificiae.

Quam ventilandam

Preside

SALOMONE GESNERO,

SS. Theol. D. & Profess. in Academia VViteb.

Publico, proponit in Templo Arcis Elect.

15. Febr. Anno Christiano 1604.

M. PETRVS HINKELMANVS

Rostochiensis.

VVITEBERGÆ, Typis Meisnerianis.



AMPLISSIMIS,
 PRVDENTIÆ, DOCTRI-
 NÆ, VIRTVTIS ET AVTHORI-
 TATIS GLORIA CLARISSIMIS,
 PRÆSTANTISSIMIS,

DN. CONSVLIBVS, CÆTERIS Q;
 SENATORIBVS *Inclytæ Reipub. ROSTOCHIEN-*
SIS SPECTATISSIMIS, PATRIBVS PATRIÆ
MERITISSIMIS, DIGNISSIMIS.

Dominis Patronis & Mecœnatibus suis magnis, singularis ob-
servantiæ & honoris cultu demissè semper colendis,

Positiones hasce Theologicas integram Pontificiorum doctrinam de
Confirmatione, eiusq; refutationem continentes,

In debitæ subjectionis & gratitudinis testificationem,
suiq; commendationem.

submissè inscribit & offert

M. PETRVS HINKELMANVS
 Rostochiensis.



THESES
DE CONFIRMATIONE.

I.
Baptismo verè & ὡμοίως sic dicto sacramento, de quo superioribus disputationibus actum, Pontificij in conciliabulo suo Tridentino subjungunt Confirmationem, in cerebro humano natū & à ratione excogitatum Sacramentum, quod tribus canonibus contentum, nudisq̄, solummodo anathematis pro more suo & jure privilegiorum sedis Romanensis, neglectâ & suppressâ fundamentorum Scripturæ, rationumq̄, ex ea deductarum explicatione, armatum tradiderunt, Ecclesiæq̄, obtruserunt.

II.
Primus enim canon anathematizat omnes, qui Confirmationem Pontificiam baptizatis adhibitam, otiosam potius ceremoniam, quam verum & proprium esse Sacramentū, & olim nihil aliud, quam catechesin quandam & professionem fidei puerorum fuisse, dicant.

III.
Nam cum nostri sæpius ritum Confirmationis Pontificie multorum inutilium supersticiosorum & cum Scriptura pugnantium traditionum con- vicerint, eundem nominarunt otiosam & supersticiosam ceremoniam s. scripturæ & puriori antiquitati contrariam & repugnantem, & ostenderunt ritum illum Confirmationis juxta Scripturæ & purioris antiquitatis consensum, hoc modo posse usurpari:

IV.
Ut scilicet puer ad annos discretionis perductus, diligenter in Catechesi institueretur, institutus confessionem publicam coram Ecclesia, de precipuis religionis Christianæ capitibus interrogatus ab Episcopo, ederet, hacq̄ sua confessione se ab omnibus heterodoxis opinionibus dissentire ostenderet. Edita confessione graviter ex Verbo Dei admoneretur, ut in pacto Baptismi in infantia percepti, & in illa doctrina & fide perseveraret, ut proficiendo subinde magis magisq̄ confirmaretur. Hisq̄, peractis, publica fieret precatio pro puero, ut Deus Spiritu suo sancto illum gubernaret conservaret & confirmaret.

V.
Hujusmodi ritum Catechetikum, Confirmationis nomine indigitari



convenientissimè posse, nostri dixerunt, & valdè multum utilitatis ad institutionem juvenutis & adificationem totius Ecclesiæ conferre, esseq; consentaneum & scripturæ & puriori antiquitati.

VI.

Sed cum Pontificij hæc omnia simpliciter rejecerint affirmantes, in confirmatione usum rationis non esse expectandum, sed confirmationem tum, quando nec commonesactio de suscepto baptismo, nec exploratio doctrinæ, nec professio fidei, nec exhortatio ad perseverantiam, in pueris locum habere potest, adhibendam esse: nostri regesserunt, si hæc ex ritu confirmationis tollantur, etiamsi nihil contineret superstitionis, esse tamen otiosam tantum ceremoniam. Quæ nostrorum bimembris sententia anathemate primi Canonis jugulatur.

VII.

Quod secundum Canonem attinet: magnam omnino virtutem sacro suo, ut vocant, chrismati, sine ullo mandato & promissione scripturæ, tribuunt, & propterea maximè sunt injurij Spiritui Sancto, qui hanc virtutem, non à Pontificijs excogitato chrismati, sed à Christo instituto baptismo acribit: sed talia dicentibus & affirmantibus vanum sine viribus strepitum & crepitum anathematis minantur.

VIII.

Notetur autem in hoc secundo Canone, quod chrismati non tantum significationem aut commonesactionem aliquam de efficacia baptismi, sed virtutem spiritualem & Divinam, eamq; peculiarem & à baptismo distinctam tribui velint: ita, ut, sicut in Eucharistia indignè manducando & bibendo iudicium sibi quis potest sumere, sic etiam attrectatione chrismatis minus reverenti, supremam indignationem Dei & plus quam gehennam incurrat.

IX.

Tertius Canon illinitionem chrismatis in confirmatione, non cuiusvis simplici sacerdoti, sed soli Episcopo tanquam ordinario huius ministro, sub anathematis interminatione vindicat. Quales enim sunt Episcopi, tale etiam volunt habere ministerium, ut Lutherus de captivitate Babylonica inquit.

X.

Cum verò hi Canones plus habeant in recessu, quod complexu suo involunt & occultant, quàm prima fronte præ se ferre videntur, operæ precium erit, totam doctrinam de Confirmatione Pontificia paulò altius repetere. Ut vero tota disputatio commodiori methodo explicari possit, vestigijs Examini Chemnitiani insistentes, eam hisce tribus absolvemus capi-

piti-

pitibus. Primum continebit Pontificiorum integram & universam de Confirmatione sua doctrinam & sententiam. Secundum, fundamenta & probationes quas ex scriptis tum Biblicis tum Ecclesiasticis pro sua Confirmatione allegant, recenset. Tertium confutationem subjungens, quomodo haec Pontificiorum doctrina & sententia S. scripturae vel consentiat vel repugnet, ostendet.

DE PRIMO.

Quae sit doctrina & sententia Pontificiorum de sua Confirmatione.

XI.

In enarratione & recensione totius doctrinae & sententiae pontificiorum de confirmatione, D. Chemnitius ex illorum veteribus & recentioribus scriptis, propria ipsorum verba, ut eò majorem fidem habeat narratio, recitat. Talem autem ponunt suae Confirmationis definitionem: Quod sit inunctio seu illinitio chrismae consecrati, quae fiat ab Episcopi pollice, in fronte hominis baptizati: non in ipsa actione baptismi, sed postea in peculiari sacramento, per modum seu figuram crucis, cum pronuntiatione horum verborum: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.

XII.

Continet definitio haec, quatuor. 1. materiam. 2. Formam. 3. Effectum seu Efficaciam. 4. Quasdam circumstantias, de personis conferentibus, confirmandis, & quo tempore. Hac quatuor membra definitionis universum mysterium traditionum de Confirmatione apud Pontificios nobis aperient, de quibus ordine. Ceterum de causa efficiente & mandato verbum nullum.

XIII.

1. De materia. Quia Confirmationem suam pro vero venditant sacramento, etiam illi certam materiam, tanquam veri sacramenti requisitum, deputant, oleum nimirum: sed non illud vulgare, quale est oleum sanctificatum, quod vocant Catechumenorum & infirmorum, cui in baptismo & extrema unctione sauis est apud illos usus: neq, simplex omnino, sed compositum & certa proportione cum balsamo mixtum, cui ob hanc mixturam peculiare imponunt nomen, chrisma illud vocitantes, quia iam aptum & ad chismaticam unctionem singulariter dispositum & preparatum sit.

XIV.

Insuper autem ut recens sit hoc chrisma scrupulosè cavent, ne cum vetustate

estate recens insufflata ab Episcopo vis exspiret. Quare singulis annis, certo die, ab Episcopo, conceptis & prescriptis exorcisandi & benedicendi formulis, consecratur, quod nisi exactè observetur, sacramentum esse non putatur.

XV.

Forma v. Exorcismi hac utitur Episcopus: Exorcisa te immundissime Spiritus, omnisq; incurso Satana & omne phantasma, in nomine patris & filij & Spiritus sancti, ut recedas ab hoc oleo ut possit effici unctio spiritualis, ad corroborandū templū Dei vivi, ut in eo possit Spiritus S. habitare, per nomen Dei patris &c.

XVI.

Huic exorcismo conjungit inhalationem in mixturam, superadditis preculis ad hanc actionem accommodatis. Post consecrationem Chrismatis, cantores canunt, inter cœtera hunc versum: Corde natus ex parentis, alvum implens virginis, pande vitam, claude mortem, consecrato Chrismate.

XVII.

Hanc mixturā olei & balsami nominant materiam remotā Confirmationis: materia vero proxima, quam propriè alterā partem sacramenti vocant, est illis unctio ex prædicto oleo in fronte ad figuram crucis adhibita. Bellar. de Conf. cap. 8.

XIX.

2. De forma. Quam tradunt esse hæc verba: signo te signo crucis, & confirmo &c. Quæ pronuncians Episcopus pollice frontem Baptizati inungit, vāllāq; panno albo, qui septimo post die deponitur, obvolvitur, ne recens unctio difluat vel deleatur.

XIX.

In ipsa vero actione adduntur conceptis verbis, aliæ etiam preces: Immitte in eum Spiritum Sanctum tuum, septiformis gratiæ tuæ paraclitum de cœlis: Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilij & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis, & imple eum Spiritu timoris tui: & signa eum signaculo crucis sanctæ propitiatus, & Spiritum S. non amittat in vitam æternam.

XX.

Absolutis omnibus preculis, ad Confirmatum dicit Episcopus, pax tecum. Quod Rabanus ita explicat: Novus homo qui secundum Deum creatus est, dignus est saluari: interim verò, cum erat vetus, non erat salutandus, sed tantum pro eo orandum. Ut vero confirmatus memor sit, huius spectaculi, impingit ei suffraganeus colaphum.

XXI.

3. De Effectu seu Efficacia. Hanc duplicem faciunt: unam, quæ gratiam conferat gratum facientem: alteram vocant characterem, quo ad-

scribi

scribi aiunt confirmatos in Christi militiam. Præcipuum vero effectus huius sui Sacramenti ponunt confirmationem in fide, quæ duo requirat: puritatem & fervorem fidei in corde, & constantem confessionem in ore. Illum, inquiunt, significari oleo, quod liquor purissimus, subtilis, lucidus, & calidus sit: hanc vero constantiam non minus aptè significari balsamo, quod bonum odorem effundit ad alios.

XXII.

Gratiam verò hanc & efficaciam Confirmationis suæ Pontificij, volunt conferri ex opere operato propter chrismatismis virtutem, hanc longè præstantiorem, quam ipsius Baptismi, fingunt. Imò Confirmationem Bellarminus vocat complementum & perfectionem Baptismi, propterea quod (sua quidem opinione) conferat, quod Baptismus non habet, nimirum septiformem gratiam Spiritus S. Imò docere audent Pontificij, aliter perfectum Christianum esse nequaquam posse, nec sedem habere inter perfectos, etiamsi baptizatus fuerit, nisi sit chrismate ab Episcopo consignatus & notatus.

XXIII.

Quemadmodum Gropperus in provinciali Concilio Colonienfi inquit: non satis esse in Baptismo accipere Spiritum innovantem, nisi & per Confirmationis Sacramentum accipiamus Spiritum tuentem ac defendentem. Et Concilium Aurelianense de consecr. dist. 5. Nunquã erit Christianus, nisi in Confirmatione Episcopali fuerit chrismatum. Melchisedes de consecr. dist. 5. inquit: Spiritus S. in Baptismo pulchritudinẽ tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentũ præstat ad gratiam: in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismũ confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, in Confirmatione roboramur. XXIIV.

Magna itaq; sunt & multa quæ suæ tribuunt Confirmationi, eaq; majora & plura quàm Baptismo, quæ omnia in brevem quandam tabelam collecta recensibimus: In Baptismo non datur Spiritus sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis & timoris &c. Sed hoc fit in Confirmatione: Spiritus Sanctus, quo resistamus cupiditatibus mundo & diabolo, nõ datur in Baptismo, sed in Confirmatione: Baptizati non possunt in se gratiam Christi habere nisi ungentur, neq; sunt pleni filij Dei, qui baptizati sunt, si non ungentur: Baptismus non facit regni Dei participes, sed hoc facit Confirmatio: In Baptismo tantũ preparatur habitatio Deo, non autem venit vel pater, vel filius, vel Spiritus sanctus in domum suam, sed hoc primum fit per confirmationem. Hæc & id genus alia sexcenta suo tribuunt chrismati, de quibus hætenus.



4. De circumstantijs quibusdam, quarum multa occurrunt nō tam dispicienda quā despicenda. præcipua verò sunt illæ, de personis & tempore. Personæ autē sunt generum; conferentes hoc chrisma & confirmandi. Illas quod attinet; solis Episcopis ordinariè hanc actionem tertius Canon assignat, imò secundum quorundam opiniones & somnia non quibusvis Chærepiscopis sed solis tantū Episcopis manus imponere & chrismate frontem inungere conceditur, idq̄, ut videtur, duabus potissimum de causis.

XXVI.

Prima est, quæ eos ipsos spectat: cum enim prædicationem verbi & administrationem verorū sacramentorum à se ad alios inferiores rejecerint Episcopi, ne tamen ipsi nihil quod agerent haberēt, delibutionem chrismatibus, ut minime laboriosam & molestā invenerunt, cum ad legitimum Episcopi munus obeundum, pleriq̄ sint, sicuti illustris quondam adolescens, in collegio ipsorum, cum recitanda essent Pauli verba, (sicut estis azymi) cecinit: sicut estis asini. Ne itaq̄, tales cum sint, etiam videantur, ut aliquid agendo titulum defendant, in suis diæcesibus confirmationem, ordinationes, consecrationes, & id genus alia perficiunt. Quemadmodum Lutherus de capt. Babyl. inquit: confirmationem esse excogitatam pro ordinandis officijs Episcoporum, ne penitus sint sine opere in Ecclesia.

XXVII.

Secunda causa respicit Confirmationem, ut quam Scriptura ei denegat, ab Episcopis accipiat auctoritatem, eoq̄ majorem, quò sunt presbyteris sublimiores. Ex conditione enim ministri, per quē perficitur & administratur, quem oportet esse Episcopum, fingunt Sacramentū Confirmationis excellentius, dignius & majus esse, quod majori reverentia venerandum & tenendum sit, quam ipse baptismus, qui à quolibet presbytero administratur: accipere verò hanc suam excellentiam à dignitate Episcopi non respectu morū, sed ministerij, ut Bellarminus aperte scribere non erubescit tom. 2. de confirm. cap. 2.

XXIIX.

Quibus verò & quo tempore conferendum est hoc chrisma? non nisi baptizatis, ijsq̄, non sine discrimine quibusvis, sed jam ad aliquā ætatem progressis. Volunt enim inter baptismū & delibutionem intercedere spaciū aliquod temporis, annos nimirum 12. vel 25, sicut tradit glossa de consecrat. dist. 5. cap. ut Iejun. Durandus ex Rabano censet, baptizatum confirmari non posse, nisi ad minimum post 7 dies post baptismum, propter 7 scilicet dona Spiritus.

XXIX.

Idq̄, idē, ne actio baptismi & confirmationis conjuncta coincidat, sed ut hæc ab illa avulsa, pro peculiari acceptetur Sacramento, numerusq̄, septenarius Sacramentorum sic inconcussus & integer foventur & retineatur. Hæc fermè sunt mysteria traditionum de confirmatione apud Pontificios.

DE SECUNDO.

Quomodo hanc suam de Confirmatione doctrinam & sententiam Pontificij probent.

XXX.

Videre nunc libet fundamenta hujus illorum assertionis, quomodo, quod dicunt, probent, quod opus & labor illis est. Cum enim eò veniunt, ut illa, quæ magna cum asseratione tradiderunt & affirmarunt, probent, tum vel fatentur id quod res est, nullam in Scriptura extare literã, quod, quando, ubi & quomodo Christus illã Chrismationem instituerit. Vt Alexãder Alensis part. 4. dist. 24. memb. 1. publicè disputavit, Sacramentum Confirmationis Pontificiæ, nec institutum nec dispensatum fuisse, vel à Christo, vel ab Apostolis, quia in Scriptura non legatur, & quia nec Christus nec Apostoli usi sint illa materia & illa forma, dicit, post mortem Apostolorum, Sacramentum illud ab Ecclesia in Concilio Mildensi institutum. Et hanc sententiam amplectitur etiam Bona Ventura, qui addit lib. 4. dist. 7. quest. 2. Ideò materiam confirmationis necessario prius debere esse consecratam, quia Christus illam non instituerit.

XXXI.

Sed, quia vident quantum sit incommodi, obtrudere aliquid Ecclesiæ titulo Sacramenti, quod nec institutionem, nec mandatum, nec promissionem Christi habeat, aliquid fingunt pingunt & ad institutum suum torquent, & undiq̄, qualiacunq̄, præsumptæ suæ opinionis conquirunt suffragia, ut fucum faciant simplicioribus, & deploratam suam causam obtineant.

XXXII.

Et quia veritas est unica & simplex, falsitas multiplex & speciosa: Illorum etiam, ut à veritate discernatur, signum est varium. Alij enim Sacramentum chrismatis non quidem à Christo, sed ab Apostolis esse in-

B

esse in-

esse institutum mentiuntur. Alij, ut Thomas cum suis, fingunt Christum instituisse, & materiã illam & formã confirmationis, addidisse etiam mandatũ & promissionem de efficacia. Quia verò fateri cogitur Thomas, nec Christum nec Apostolos illam siue materiam siue formam usurpasse, ulterius fingit: Christum ita instituisse, ut nec ipse nec Apostoli illa materia & forma uterentur: sed ut cessantibus sensibilibus Spiritus sancti signis, tunc demum in Ecclesia usurparetur linitio chrismatũ, & forma illa verborum, & indubitato tunc ad futurum effectum illum, sicut tradunt & credi volunt Pontificij.

XXXIII.

Hoc ille quidem dicit, verũ non probat, ideoq; fingit, quod etiam non dissimulat, sed fatetur clarè, nullam in sacris literis, de institutione confirmationis extare literam. Sed quia Ioh. 20. scriptum sit, Christum multa signa fecisse, quæ non sint omnia scripta, ideo etiam credendum esse, inquit, chrisimationem plane eo modo, sicut Pontificij fabulantur, à Christo institutam esse, licet probari non possit.

XXXIV.

Hanc verò infirmitatem & frigiditatem Thomisticae probationis animadvertentes Pontificij, quod ita judicari possent habere Sacramentũ confirmationis, sine verbi Dei institutione, sparserunt & Ecclesie obtruserunt apocrypha, incerta, vetustati ignota, supposititia fictitia & commentitia aliquot scripta, quæ vetustissimis quibusdam Romanae Ecclesie Episcopis, qui pietatis constantia, partim etiam martyrio celebres fuerunt, tribuunt.

XXXV.

Materiam itaque suam ita ex illis probant. Fabianum Martyrem in sua Epistola (quam Fabiano attribuunt) testari prædecessores suos à S. Apostolis accepisse, quæ idem etiam tradiderint in Romana, Antiochena, Hierosolymitana & Ephesina Ecclesia, quod Christus in ultima coena, cum discipulis pedes lavisset, Chismatũ consecrationem tradiderit & docuerit, sicut in Pontificali ea describitur.

XXXVI.

Deinde etiam ex sacris quædam dicta ad unctionem istam torquent, & ad probandam materiam adducunt illud Act. 2. de visibili effusione Spiritus sancti in Apostolos, ex quæ ita concludunt: Quia Spiritus sanctus die Pentecostis in specie linguarum ignearum super Apostolos venit: Ergo oleum cum balsamo adhibendum in confirmatione. Sed qualis

hæc

hac est consequentia? miraberis scio, ubi addieris: Igni in Pentecoste respondet in Pontificia confirmatione oleum, & speciei linguarum, balsamum. Qua vero ratione? quia oleum nutrit ignem, & balsamum est odoriferum.

XXXVII.

Oleum vero hoc cum balsamo miscere, & chrisma inde facere insufflando debere Pontificem probant, ut imitetur Christum, qui insufflando Apostolis suis dedit Spiritum Sanctum Ioh. 20. Tum etiam illud certa benedicendi formula consecrari omnino necesse esse, juxta dictum Pauli I. Timoth. 4. vers. 5. Sanctificatur creatura per verbum & orationem.

XXXVIII.

Bellarminus de confirm. cap. 8. duobus alijs locis Scripturae materiam probat. Alter est 2. Cor. I. v. 21. Qui confirmat nos Deus, & unxit nos & signavit, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Hunc locum aptis & clavis verbis de confirmatione loqui, ut sunt: Confirmat, unxit, signavit, dedit pignus Spiritus in cordibus. Quare etiam ait, Ambrosium libro de ijs qui initiantur mysterijs cap. 7. & Anselmum & Theodoretum super hunc locum, de Sacramento confirmationis eum explicari.

XXXIX.

Alter locus est I. Ioh. 2. v. 20. Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Quem locum, ait, Cyrillum Catech. 3. mystagogica, & August. tract. 3. in Epistolam Ioh. de hoc Sacramento exponere. Iohannem enim hoc dicto ad sanctum hoc chrisma alluisse, per quod datur Spiritus Sanctus, qui docet nos de omnibus. Et addit, Christianum proprie denominari à Chrismate. Cum enim Christianus dicatur quasi unctus, non videri eum dignum hoc nomine, qui non sit unctus hoc unguento, quo Christiani perficiuntur.

XL.

Ex veteri Testamento quoque probationes sui chrismatism sumit Bellarminus. Dicit enim unguentum, quod Deus jussit fieri Exod. 30. quo ungeretur tabernaculum & Sacerdotes figuram fuisse chrismatism Pontificij in Novo Testamento, quo ungitur Ecclesia.

XLI.

Formam & actionem suam Confirmationis probant dictis Act. 8. & 19.

B 2

Vbi



Vbi Apostoli baptizatis manus imposuerunt, qui ita acceperunt Spiritum Sanctum: Ergo, inquiunt, nunc in Ecclesia, chrismate, sicut in Pontificali describitur consecrato, linienda est frons baptizatorum, cum forma illa verborum, quæ supra descripta est, superadditâ alapâ. Sed quid alapæ cum impositione manuum commune est? respondent, quia in Pontificia Ecclesia, sequi idem sit quod præcedere, idè Episcopum percutientem confirmatum in maxillam post confirmationem, representare impositionem manuum in Actis, quæ tunc præcesserit donationem Spiritus Sancti.

XLI I.

Imò Bellarminus affirmare minimè erubescit, falsum esse quod reiecta sit manus impositio. Bis enim Episcopum manum imponere confirmandis, semel cum super eos manus extendat atq; oret: & rursus cum signet in fronte, atq; ungat. Ipsam enim unctionem & signationem, cum manu fiat, manus impositionem rectissimè dici, idq; probat curatione Lunatici Marc. 7. v. 33. In qua Dominus rogatus ut manus imponeret lunatico: ille id fecit, inquit, nam digito tetigit linguam & aures eius.

XLI II.

Verba verò ipsa formam confirmationis constituentia, Consigno te signo &c. quia ex verbo Dei scripto probare non potest Bellarminus, assumit pro more suo verbum non scriptum, in quo semper Pontificij locum refugij quærunt, & inquit: non dubitari posse, quin hæc sit conueniens forma per traditionem Apostolicam accepta, cum apertè explicet & causam principalem, quæ est Sancta Trinitas, & causam ministerialem, quæ est ille qui verba ipsa profert, & deniq; effectum Sacramenti, qui est facere Christi militem insigniendo illum cruce, & roborare atq; armare confirmando chrismate.

XLI V.

Promissionem efficaciam deinde probant fundamentum habere. Ioh. 14. 15. 16. Luc. 24. Act. 1. 8. & 19. ubi & discipulis promissio facta, & post impositionem manuum super baptizatos, donum Spiritus Sancti secutum sit. Et quia hæc promissiones & effecta parùm aut nihil ad suum chrisma quadrare videantur, hic fucum facere conantur imperitis, dicentes: licet sensibilia & miraculosa illa Spiritus sancti dona jam desierint, uniuersales tamen & perpetuas esse promissiones de gratiâ confirmationis

mationis, de dono perseverantia, de conservatione & augmento donorum spiritualium &c. Et his recensitis statim attexunt: Quicumque cum Pontificali non exclamaverit: Ave sanctum chrisma, eum omnes illas promissiones convellere & proculcare.

XLV.

Solis Episcopis reservari confirmationem administrandam probat Bel. dicto Act. 8. v. 2. ubi Philippum baptizare, & tamen non potuisse imponere manum dicit, sed venire ad hoc faciendum Petrum & Ioannem. Et Act. 19. Paulo præsente baptizantur duodecim viri, & non exprimitur à quo, quia quilibet, inquit Bellar: id facere poterat: at baptizatis Paulus ipse manus imponit, ut acciperent Spiritum Sanctum, quem soli Apostoli per manus impositionem dabant. Et addit cap. 12. hanc rationem, quia in Confirmatione adscribimur ad Christi militiam; adscribere autem ad militiam est propriè ducum & imperatorum, Ergo.

XLVI.

Hiscæ ne apparentibus quidem fundamentis & testimonijs S. Scripturæ nitentes, concludunt: Apostoli habuerunt peculiare externum signum, impositionem scilicet manuum, per quam conferebatur Spiritus sanctus Act. 8. 19. & nemo dicere audebit, Apostolos hoc fecisse sine mandato & promissione divina: Est ergo in N. T. peculiare Sacramentum institutum & ordinatum ad conferenda dona confirmationis. Efficax enim signum gratiæ, est definitio Sacramenti.

XLVII.

Deniq; etiam ad stabiliendam suam chrisimationem Pontificij Veterum sententias cumulare solent, ex quibus efficacius, inquiunt, probari posse hoc Sacramentum. Docent enim, cum Scripturæ dicta non sint ita mani, est, ut in hac materia, auctoritatem Ecclesiæ esse consulendam, ejusq; standum iudicio & interpretatione. Sunt itaq; eo liberaliores in citandis patrum sententijs, quò in Scripturæ dictis parciores. Sed ex illarum variegine unam atque alteram produxisse sufficiat.

XLVIII.

Qualis est Tertulliani de baptismo: qui baptizantur in aquis, non consequuntur Spiritum Sanctum, sed in aquis mundati, sub angelis tantum preparantur Spiritui Sancto, qui demum postquam egressi sunt de lavacro, per benedictam unctionem & impositionem manus ad vocatur & in vitatur. Et illa Cypriani falsa glossa super dictum Christi Joh. 3. Nisi

quis renatus fuerit ex aqua & c. Baptismo tantum aquam tribuens, Spiritum Sanctum vero unctioni & impositioni manuum. Cui addit, non posse esse filios Dei, si non utroq; Sacramento nascantur, laetacro scilicet aqua in verbo, & unctione chris-matis. lib. 2. Epistola I.

XLIX.

Et aliorum etiam patrum auctoritates, qui in suis libris, unctionis aliarumq; Ceremoniarum, quae suo tempore in actione baptismi sine mandato divino, ex Ecclesiastica traditione, usitatae fuerunt, mentionem faciunt, recensent & describunt, & ad suam probationem, Pontificij detorquent & accommodant. Ut Augustini, qui unctionem olei seu chris-matis, interdum sacramentum vocat. Et Cyrilli, in Catechesi sua de oleo exorcisato, iudicium: quod tantam virtutem consequatur, ut non modo ardentia peccatorum vestigia expurget, verum etiam omnes visibiles Demones repellat. Multosq; alios ex patribus diversis, quibus recensendis super sedemus, chris-matis sui patronos emendicant & constituunt.

DE TERTIO.

Pontificiorum sententiae refutatio.

L.

Est vero omnia illa, quae Pontificij non tantum sine Scripturae auctoritate & testimonijs, sed etiam contra eandem, fundamenti loco, in suo ficto & picto pseudosacramento Confirmationis adducunt, eadem, quam afferuntur, facilitate, categorica nimirum inficiatione sine verborum cumulatione, rejici possent, tamen ut stultis secundum suam stultitiam, ne in eadem sibi sapientes videantur, respondeatur, assertionum Pontificiarum, ut in secundo membro fuerunt recensita, refutationem eamq; brevem instituemus.

LI.

Idq; eo faciliori negotio, quo plures eorum sunt, qui suos socios & aedelas ingenuae & clara confessione refutant, dicentes: hujus Sacramenti confirmationis nullum in S. Scriptura haberi neq; mandatum neq; exemplum. Quemadmodum ipse Bellar: de Conf. cap. 9. nihil dissimulansclare fateatur: Non S. Fabianus neque nos dicimus esse scriptum in divinis literis institutionem chris-matis, sed dicimus haberi ex traditione non scripta. Qua igitur fronte audent illud sub anathematis fulmine obtrudere Ecclesia,

clesia, non verentes severissimum Dei praeceptum: quod ego tibi praecepto hoc tantum facito, non addas ad verbum quod tibi loquor, neque detrahas ab eo. Deut. 4. v. 2. c. 12. v. 32.

L II.

Sed ut sunt homines cauteriatarum conscientiarum, in defectu veritatis, mendacia amplectuntur, quibus sua fundamenta superstruunt, & fingunt, etiamsi non expressum habeat in S. literis fundamentum sua chrismatio, tamen à Christo esse institutam & demandatam, quia, ut inquit Thomas. Ioh. 20. cap. scriptum sit: Christum multa signa fecisse, quae non sint omnia scripta: ideo etiam credendum esse Christum instituisse chrismationem. Egregia verò fundamenta agnoscit Thomas, ex quibus quodlibet colligi & concludi posse, quis non videt? Non enim ex sacris, sed per aequè incertum, quod imprimis probandum erat, probat: Cum potius ad probationem Sacramenti expressa Christi requiratur institutio. Atque ideo invertere debuisset argumentum: quia institutio Chrismatis non potest ex verbo Dei ostendi & probari, ideo non esse verè ac propriè Sacramentum, plane eodem modo, quo unctio in ipsa actione Baptismi, non habetur, ab illis pro Sacramento, quia non habet institutionem divinam.

L III.

Quod vero hanc infirmitatem Clemens suis fictitijs & commentitijs fundamentis confirmare & stabilire conatur, aequè est frivolum & frigidum. Teste enim Eusebio, Clementis scripta, excepta unica ad Corinth. Epistolà, suo jam tempore fuerunt adulterata, atque ideo Gelasius dist. 15. illa inter Apocrypha notha & spuria reijcit. Indenè igitur divina institutio chrismatis obtinebitur.

L IV.

Probatio ex epistola Fabiano martyri tributa, aequè est incerta & veritate laborat, utpote ex Apocrypho & adulterino scripto, toti vetustatis ignoto, petita. Tertullianus enim de Baptismo dicit; unctionem non ex Christi institutione, sed ex pristina disciplina, V. T. sumptam esse. Basilus etià dicit nullum extare λόγος γεγραμμένον de unctione chrismatis. Ignoravit igitur illam Fabiani epistola.

L V.

Cum itaque quidam libri, ex quibus sua confirmationis fundamenta depromunt, etià ipso fatente Bellarmino de Conf. c. 7. sint dubia scripturae vel etiam suppositicia, imò de certissimis & probatissimis auctoribus qui sunt,

qui sunt antiquissimi & optimi, etiam dubitetur incertumque sit, an sint illi, quorum nomina praeferant: patet inde quanta cum veritate ex illis, praeccepta sua opinionis suffragia conquirant. Quare cum adulterinis hisce praesidijs, luce verbi DEI tanquam gladio Spiritus, dejectos se intelligant, ex scriptura emendicare incipiunt suffragia quaedam, quae vel in speciem praesumptae opinioni aliquo modo obducere possint: opera verò precium erit considerare, quam liquidò, quam certò, quamque acutè id ab eis fiat.

LVI.

Materiam suam probare conantur ex historia visibilis effusionis Spiritus sancti super Apostolos, Act. 1. Quia ibi sit Elementum ignis in specie dissectarum linguarum, Ergo. Est haec argumentatio à baculo ad angulum. Oleum suum chrisimatis debet respondere igni, quia ignem nutriat, sed idem facit etiam baculus quercinus, fumo benè induratus & exsiccatus. Speciei linguarum debet respondere balsamum, quia est odoriferum. Sed quid linguae seu gustui commune est cum odoribus? num lingua odoramur? sed haec forsitan dictata sunt, inter homines, qui quatuor tantum sensus agnoscunt, quibus scilicet gustus & odoratus in idem recidunt. Arguta haec est disputatio fusse fumo benè indurato digna.

LVII.

Quod verò hasce solutiones D. Chemnitij Bellar. nugas vocitat, dum Chemnitium absurdè haec intellexisse dicit, absurdus ipse est, dum ita colligit: quia ignis & unctio conveniunt in eo, quod idem significant & denotant in scriptura, nimirum sapientiam, charitatem, & ipsum Spiritum Sanctum: Ergo pro igne oleum sumendum in confirmatione. Non haec coherent, & est petitio principij. Non enim quaritur de significationibus sed de materia confirmationis, quam non ex qualibet analogia & proportionem aut congruentiam saltem extrema colligere licet, sed manifesto & expresso scripturae testimonio comprobare & nominare necesse est.

LVIII.

Tum ipsi Bellarmino incumbit, si tantopere urget eandem ignis cum unctio significationem, eam probare ex sacris. Dictum enim Luc. 12. v. 49. quod allegat, ubi Christus inquit: ignem veni mittere in terram: non loquitur de sapientia & charitate, sed de dissensione & turbis. Multò minus alterum dictum Ebr. 12. v. 29. Deus noster ignis consumens est: ab eo productum, ad hanc significationem demonstrandam, quicquid facit.

59. Quod

LIX.

Quod verò ad locum Actorum, de effusione Spiritus sancti super Apostolos in igneis linguis attinet, quem volunt esse sedem suae materiae; perspicuum est, nullam ibidem ne verbulo quidem fieri mentionem Sacramenti confirmationis, fatente id ipso Bellarmino quando dicit: quod Apostoli illo die Pentecostes, immediate Sine Sacramento à Deo confirmati sint.

LX.

Itaque, etiamsi ignem imitarentur in sua confirmatione, tamen nullo modo sacramentum ille Pontificiorum probaret, cum non pro Sacramento institutus sit: multò minus id faciet chrisma, quod nihil aliud cum igne commune habet, nisi quod eum optimè foveat & nutriat, qua ratione comparatur baculo quercineo, rumpantur ut ilia no vello. Cardinali.

LXI.

Præparationem huius chris-matis, velle sufflatu Christi in Apostolos probare, non tantum ridiculum sed magicum, supersticiosum & blasphemum est. Non enim sine mandato, quod Christus quidem fecit, nobis verò faciendum non mandavit, imitari debemus.

LXII.

Neque dictum Paulinum I. Tim. 4. v. 5. de sanctificanda creatura per verbum & orationem, quicquam patrocinetur consecrationi chris-matis, quae in Pontificali extat. Non enim loquitur ibi Paulus de quavis creaturarum transmutatione per verbum & orationem tentanda. Si enim totum Evangelium Iohannis legeretur, & totum psalterium recitaretur super urticam ne ureret, aut super ovum ut fieret globus Bombardicus, nihil efficeretur.

LXIII.

Sed, excepto dono miraculorum, quae per verbum & orationem fiunt, duplex est sanctificatio creaturarum, per verbum prior, de qua Paulus in illo loco loquitur, quae usus earum redditur sanctus, ut nihil sit reijciendum, sed cum gratiarum actione bonâ conscientia, in eo usu ad quem creatae sunt, usurpari possint à credentibus. Altera est quando virtute verborum institutionis divinae, aqua sanctificatur ut sit baptismus, panis & vinum sanctificantur, ut sint communicatio corporis & sanguinis Domini. Neutro vero modo fit consecratio chris-matis, destituitur enim divina institutione.

LXIV.

Porro dicta illa 2. Cor. 1. v. 21. 1. Iob. 2. v. 27, quibus Bell: suam unctio-

C

nem



nem chismaticam palliare vult, nihil pro illo probant. Loquuntur enim illa de spirituali & interna, & minime de externa & corporali, nec una de illa magica Pontificiorum unctione, quod ex textu ipso dilucidè & clarè patet. Paulus autem scribit Corinthijs; qui confirmat nos vobiscum in Christum, & qui unxit nos Deus, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Quibus verbis clarè dicit, DEVM CONFIRMASSE & UNXISSE tam Apostolos quàm auditores, sed quomodo? dando pignus Spiritus in cordibus illorum. Alterum dictum 1. Ioh. 2. v. 27. Vos unctionem habetis, quam accepistis ab eo, maneat in vobis: non loquitur de chismaticam Pontificiorum delibatione, sed de ipso spiritu Sancto: quod primò patet ex verbis immediatè sequentibus; in quibus filios suos, ut eos nominat, unctionem accepisse, nō ab Apostolis, multò minus accepturos ab Episcopis Pontificijs, sed ab eo, quem sanctum v. 20. nominat, qui est Christus, cuius solius opus est dare Spiritum Sanctū. Deinde ex similibus alijs locis hac significatio probatur: Esa. 61. v. 1. Ps. 45. v. 8. Vbi Christus unctus dicitur oleo lætitiæ præ consortibus. Quis hæc dicta de S. S. simili phrasi loqui non videt.

LXV.

Quare tam lucidis & claris dictis convictos nihil iuvat, quando dicunt, illa dicta tamè loqui de effectis suæ chsmationis. Hoc enim si volūt obtinere, necesse est ut demonstrent, quemadmodū effectis conveniant, ita etiā ipsā formā illas unctiones convenire, quod cum nondum demonstratum sit, absurdè ab effectu spirituali ad delibationem suam chismaticā consequentias nectūt. Multò minus patrū explanationes illorū erroribus contra scripturam subveniunt.

LXVI.

Quæ ex figuris V. T. præsidia querit Bell. ne quidem levia sunt. Illa enim Iudaica ceremonia dura verunt usq; ad Iohannem, qui suis concionibus finem illis imposuit, teste Christo. Quod verò Bell. respondet, si hoc argumentum valeret, sequi etiam; non esse utendum aquâ in Baptismo, nec pane in Eucharistiâ, quia his rebus etiam usi sint Iudæi: In hac responsione non se putet palmarium reperisse. Nos enim illis Elementis non utimur in nostris Sacramentis, quia in V. T. fuerunt adhibita, sed quia à Christo instituta & ordinata; quod illi de sua unctione nondum probarunt. Quæ itaque sine Christi institutione ex typis V. T. querunt fundamenta, ea à Iohanne dudum sunt refutata.

LXVII.

Haud minus summa formæ suæ mimeticæ fundamenta proferunt,
dunt

cum verba hæc: signo te signo &c. non sine detestabili sanctissimi divini nominis abusu, impiè transferuntur ad id, quod ab hominibus excogitatum sub opinione cultus & sacramenti obtruditur. Imò non minus manifestam & horribilem impietatem sapiunt illa verba confirmationis, quàm magica incantationes, ab organis diaboli, prophanis & impijs actionibus adhibita, quia absque mandato & institutione Christi, sub opinione singularis efficacia, nomen sacro sanctæ Trinitatis contra secundum Decalogi præceptum in vanum ab illis usurpatur.

LXVIII.

Ridicula verò & asinino non Iesuitico capite digna est illa probatio formæ Pontificiorum, quando Bellarminus ait, non dubitari posse, quin hæc sit conveniens forma, cum apertè explicet causam principalem, quæ est S. S. Trinitas. Nonne apertâ hæc blasphemiâ in castra Magorû descendit, ex Iesuita factus defensor incantatorum? Potest enim si ita liceat inferre, quilibet exorcista impius suas blasphemias excusare & defendere. Fortè regeret Iesuita, non S. S. Trinitas est causa incantationum magicarum, ut est nostræ confirmationis: Sed unde hoc probatur, num ex sacris literis aut mandato Christi? Respondet Bellar. pro mandato, mandati executionem vobis damus. Nititur hæc probatio eodem fundamento quo incantatio diabolica, nimirum figmento proprij & impij capitis.

LXIX.

Alapam deinde suam, quam Episcopus impingit baptizato, excusant & defendunt impositione manuum, factâ ab Apostolis Act. 8. & 19. Estne igitur manus imponere idem, quod alapis aliquem in faciem cadere? Quando igitur Christus dicit super egrotos manus imponent, sensus erit in Pontificiorum cerebro; decumbentes alapis benè cadent, & tunc pejus habebunt.

LXX.

Simili figmento & illusionem Bellar. præsumit ex dicto Mar. 7. v. 33. tangere digitis linguam, idem esse quod imponere manum. Interpretatio certè illa virgis quam respõsione dignior, quam si puer præceptori suo redderet, vapularet. Sed habet ille interpretationis hujus suæ fundamentum, preces nimirum populi, quia rogatus est, ut manus imponeret. Ergo fecit. Qualis hæc cõsequentiâ? ex qua sequitur, omnia illa quæ Christus cû muto fecit, et quod seorsim eum de turba apprehendit, expuit, suspexit in caelum &c. esse

esse pro impositione manus accipienda. Quid verò est, si hæc non est contra evidentes & patentes Dei scripturas solo suo figmento præsumere. Tum quid quæso Bellarminum hæc manifesta textus depravatio juvat, quod tactum linguæ interpretetur impositionem manus, cum nihil illà probet, centesimam enim partem Pontificia signatio crucis in fronte non convenit cum tactu linguæ à Christo adhibito, seu spectes formam si ve finem. Quæ itaq; inter se toto cælo differunt, ea in uno aliquo tertio convenire posse, haud est possibile.

LXXI.

Quod vero instat quia illa signatio manu fiat, Ergo rectissime posse dici impositionem manuum: nihil certè absurdus fraternoq; isto capite dignius dici potest, quis enim ab absoluta & nuda substantia ad singularem & specialem actionem unquam, nisi mente captus, conclusionem induxit. Modus enim actionis non à nudis substantijs sed à verbis actionem denotantibus describitur.

LXXII.

Nihil itaq; aliud est alapa & signatio Pontificiorum quam merum figmentum & excogitatio humana, quemadmodum Luth. de capt. Babyl. inquit: utinam esset in Ecclesia talis manuum impositio, qualis erat Apostolorum tempore, si ve eam Confirmationem si ve orationem appellare vellemus. At nunc nihil eius relictum est, nisi quantum ipsi excogitaverimus.

LXXIII.

Quomodo deinde efficaciam suæ Confirmationis ex sacris probent, nunc operæ precium erit considerare. Probant eam ex iisdem locis Actorum Apostolicorum, in quibus proram & puppim suæ probationis collocant, sed prorâ expugnata nullo negotio puppis collabascet. Sic vero concludunt: Christus promissionem suam Apostolis datam, die Pentecostes misso in specie linguarum ignearum Spiritu S. implevit: Apostoli etiam baptizatis manus imposuerunt, & acceperunt Spiritum Sanctum. Ergo nunc in Ecclesia linienda est frons cum additione alapa, & sequentur effectus supra positi.

LXXIV.

Immanis & grandis hæc est conclusio, in qua multò plus est quàm in præmissis, à visibilibus si quidem donis & miraculis ad invisibilem Spiritus S. donationem & inhabitationem argumentari velle sine mandato & institutione divina, & nimis generale est, & simul erroneum. Habuerunt enim Apostoli eius, quod faciebant, & mandatum & promissionem.

Et si miracula illa, sensibiliaq; dona adhuc in Ecclesia durarent, rectè etiam adhiberetur impositio manuum. Sed hæc jam dudum in Ecclesia desisse, extra controuersiam est.

LXXV.

Temporaria itaq; & specialis cum sit illa impositionis manuum actio effectum miraculosum producat, qui jam finem suum sortitus est, postliminò reuocari proq; uniuersali & perpetua assumi minime debet. Cum uero id faciant Pontificij, incumbit illis hæc probatio, ut ostendant mandatum Dei, quod illud Apostolorum factum, usq; ad consummationem seculi, donec Christus ad iudicium venturus est, in Ecclesia imitandum & surpandum & frequentandum sit. Nulla enim sanctorum exempla imitanda sunt de quibus non extat uerbum & mandatum Dei ad nos etiam pertinens. Tum etiam monstranda erit promissio de efficacia, si illud, quod Apostoli tunc fecerunt, imitati fuerint: Neutrum uero ostendi & probari potest.

LXXVI.

Quod uero regerunt etiam si dona illa uisibilia desierint in Ecclesia, promissiones tamen de donis spiritualibus eorumq; augmento esse uniuersales & perpetuas, id illos nil iuuat. Quæstio enim hoc loco non est de ipsis promissionibus, quas in scriptura extare certum est: sed quæritur, an illas promissiones Deus ad delibutiones chrismatum Pontificij uelit esse alligatas? non enim sequitur, promissio extat in scriptura, Ergo fabricandum est humano arbitrio sacramentum per quod promissio illa applicetur.

LXXVII.

Quare non tantum non ex scriptura probari potest, sed etiam contra illam est chrismatica hæc demurmuratio, *ἀντιθετικῶς* ipsi Baptismo opposita. Quæ enim Pontificij sua tribuunt confirmationi, ea manifestè derogant dignitati & uirtuti ipsius Baptismi, quæ *ἀντιθετικῶς* probe est obseruanda quam cum de uita cupit Bell: clarius aperit, dum cap. x. de Conf. inquit: Baptismum propriè ad uitam regenerare quam uis gratia illa regenerationis ualeat etiam ad peccata uitanda: Confirmationem autem propriè dari ad augmentum roboris & ad pugnandum pro fide. Quibus uerbis clarissimè Confirmationem Baptismo opponit. Si enim constantiam in fide & declinationem peccatorum Baptismus conferre credatur, quorsum opus est illinitione chrismatum: Si uero eadem Confirmationi

tribuatur & Baptismo detrahatur, quam egenum, nudum & miserum relinquetur Baptismi Sacramentum.

LXXVIII.

Quando itaq; Bellar: inquit: nos non detrahimus baptismo suos effectus, sed damus utriq; sacramento effectus proprios: sumum imperitis vendit, & linguam non mentem scripturae accommodat, ut videatur cum scriptura loqui, quamvis interim minimè cum illa sentiat, in Sacramento Baptismi, cui aliquam adhuc efficaciam relinquit, convictus clarissimis scripturae dictis, quae apertiora sunt, quam ut ullà sophisticà eludi possint. Quod vero deinde efficaciam illam inter Baptismum & Confirmationem partitur, facit hoc, & sine ullo scripturae fundamento, & contra illam. Non enim quid ille, aut alius, quantumvis Cardinalis & Papa ipse, vel Confirmationi tribuat vel Baptismo detrahat, attendendum, sed unico scripturae iudicio standum.

LXXIX.

Pro Baptismo itaq; loquuntur haec scripturae testimonia. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit Mar. 16. v. 16. Quicumq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti ergo sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus resuscitatus est à mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus. Rom. 6. v. 3. 4. Quotquot baptizati estis Christum induistis. Gal. 3. v. 27. Qui renatus fuerit ex aqua & spiritu intrabit in regnum caelorum Ioh. 3. v. 5. Salvos nos facit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti. Tit. 3. v. 5. Baptisma nos salvos facit, quo fit ut conscientia benè respondeat apud Deum. 1. Pet. 3. v. 21.

LXXX.

Pro Confirmatione verò sua Pontificij ne unicum quidem dictum verum adducere possunt. Si itaq; effecta quam Pontificij sua confirmatio ni sine ullo scripturae testimonio tribuunt, ad dicta illa perspicua & aperta, quae pro baptismo loquuntur, conferantur, manifestum erit Pontificiam doctrinam de Confirmatione suâ inventitiâ, cum insigni injuria & contumelia baptismi conjunctam esse. Atq; hac unica perversa & contraria sua traditione, si non alijs etiam innumeris, satis superq; sese tanquam *ὡντιμωτέρω* ille extulit, supra omne quod est Deus 2. Thess. 2. vers. 4.

81. Nunc

LXXXI.

Nunc accedamus ad Episcopos, quibus solis huius chrismationis cura commendata est. Contra illos autem Lutherus de capt. Babyl. respondet: Episcopus non Evangelizans, nec animas curans, quid est nisi idolum in mundo, habens nomen & figuram Episcopi? quales itaq; sunt sacerdotes tale habent & ministerium & officium. Qualem itaq; & quantam Excellentiam hoc sacramentum à dignitate ministerij Episcopi, quam tanto pere extollit Bellarminus, capiat, cui vis colligere obvium erit.

LXXXII.

Nec quicquam exempla Apostolorum ex Actis à Bell: producta suis Episcopis subsidio & defensionem veniunt. Loca enim illa Act. 8. v. 14, & c. 19. v. 6. nihil de Confirmatione Pontificia, sed de visibili dono Spiritus Sancti loquuntur. Et Act. 8. nulla fit mentio impositionis manuum, sed tantum precationis, oraverunt enim pro Samaritis, qui receperunt verbum Domini, ut etiam acciperent illustre donum Spiritus Sancti. Impositio etiam manuum Act. 19. nihil cum chrismatione Pontificia commune habet. Quod itaq; Apostolis propter donorum excellentiam singulare fuit, id in re diversa & contrarie dissimili Episcopis non potest accommodari.

LXXXIII.

Tum qua ratione solis Episcopis tribuunt, quod Apostoli fecerunt, cum illi nihil minus sint quam Apostoli, cum nihil horum, quae Apostoli fecerunt, faciant, ne quidem hac in parte, quae longissimè ab Apostolorum ritu discedunt, imò ei planè adversantur. Quin potius sequetur, si Episcopis tantum facere licet, quae Apostoli fecerunt, munus docendi etiam incumbere Episcopis, neq; etiam presbyteris, sed tantum Episcopis licere communicare sub utraq; specie, quia hoc soli Apostoli in Coena Domini fecerunt. Cum verò ne umbram quidem horum faciant, quod Apostoli fecerunt, sed potius ut reges gentium dominantur & benefici vocentur, ad cogendas copias militares contra Turcam, quam ad adscribendos baptizatos ad militiam spiritualem, aptiores & magis idonei fortè reperientur. Certum itaq; est Episcopos cum Apostolis, à quibus toto caelo distant, hac in re comparari minimè posse.

LXXXIV.

Quam postremà ex hisce locis Apostolicis probationem neclunt, ejusdem est,



est, cum prioribus, valoris, quod enim ex efficaci illo signo & ritu manus impositionis Apostolica sacramentum definiunt, committunt insufficientem partium & requisitorum sacramenti enumerationem, quorum plura sunt, quæ disputatione prima th. 24. recensentur. Et pro nobis hoc loco Lutherus de capt. Babyl. respondet: si, inquit, sacramentum est, quicquid Apostoli fecerunt, cur non magis prædicationem fecerunt sacramentum?

LXXXV.

Non enim procedit, ab aliquo facto speciali, ad mandatum universale velle argumentari, ut Bell: fecit, pro mandato (quod producere non potest) mandati executionem substituens. Aliàs quodlibet factum Apostolorum possemus, & jure etiam teneremur imitari, imò non tantum Apostolorum sed & aliorum quoque heroum. Quanta vero & quam varia & absurda sub hoc prætextu, induceretur $\kappa\alpha\kappa\omicron\zeta\eta\lambda\iota\alpha$?

LXXXVI.

Quin imò Apostolos non tam ex mandato, quam ductu Spiritus Sancti impositionem manuum tanquam $\alpha\delta\iota\alpha\phi\omicron\rho\sigma\omicron\upsilon\tau\iota$ adhibuisse, vel inde manifestum est, quod eam noluerunt esse ordinarium & generale medium, sine quo, gratia confirmationis non conferretur à Deo. Legimus enim non omnibus baptizatis manus ab Apostolis fuisse impositas, nec omnes accepisse visibilia dona Spiritus S. quibus tamen necessaria dona Confirmationis incrementi & perseverantiæ non defuerunt, ut de Antiochenis legitur Act. 11. Si verò de impositione manuum expressum habuissent mandatum, nullo modo licuisset, si eam intermittere.

LXXXVII.

Tum si maximè ille ritus Apostolorum esset (quod tamen non est) sacramentum universale, qua auctoritate Pontificij, abolita Apostolica impositione manuum, delibationem excantati chrismatism armatam alapâ substituerunt, & ad illam promissiones alligarunt? Num vero plane nulla sunt alia media, per quæ Deus conferre velit dona confirmationis & perseverantiæ, nisi hæc humanitus excogitata Pontificiorum chrismatism obtrudatur? sunt certe, Baptismus, Eucharistia, fides, oratio, lucta, acceptorum donorum exercitium &c.

LXXXVIII.

Planissimum igitur est, nec materiam nec consecrationem materiæ, nec formam, nec effectus Confirmationis Pontificiæ, vllum certum firmum

mum perspicuum & idoneum habere scripturae testimonium. Pulsi itaq; foras ex scriptura, quam feliciter ad Antiquitates confugiant, nunc deniq; paucis videamus.

LXXXIX.

Sed haec disputatio nihil praedjudicare vel debet vel potest scripturae fundamentis, sacra enim scriptura doctrinae nostrae regulam figit. Non ergo audiamus: haec ego dico, haec tu dicis, sed haec dicit Dominus. Neq; nobis a Pontificijs eripi patimur hanc libertatem, quam in examinandis & dijudicandis omnium patrum scriptis Augustinus saepe inculcat, Ecclesiae mirum datum esse ut ad normam scripturae exigantur.

XC.

Disimiles vero sunt illae veterum sententiae: quaedam enim ex Schola Montanici paracliti prodierunt, qualis est Tertulliani sententia $\psi\epsilon\upsilon\delta\epsilon\text{-}\pi\iota\gamma\alpha\phi\iota$ th. 48. posita, quae jamdudum ab Hieronymo multis verbis ex scriptura refutata est, in dialogo adversus Luciferianos. Est enim $\delta\iota\epsilon\pi\acute{\alpha}\rho\iota\text{-}\delta\upsilon\pi$ S. S. scripturae opposita, quae disertè affirmat, S. S. Spiritum abundè per baptismum in nos effundi, & omnes baptizatos ex aqua & Spiritu renasci. Tit. 3. v. 6. Ioh. 3. v. 5.

XC I.

Quod attinet Cyprianum, hausit ille suam doctrinam à magistro suo Tertulliano, & est glossa illa th. 48. recitata, falsissima, quae $\psi\epsilon\upsilon\delta\text{-}\omicron\lambda\omicron\gamma\omega\varsigma$ dictum Christi Ioh. 3. v. 5. nisi quis renatus fuerit &c. discerpit, tribuens baptismo nudam solummodo aquam, Spiritum vero Confirmationi. Cum tamen Christus expressè & clarè utrumq; tribuat renascentia, quae etiam ex Pontificiorum concessio, non est Confirmationis sed Baptismi. Bellar: de Confirm. Cap. 1.

XC II.

Accedit, quod illae Tertulliani & Cypriani sententiae, tradentes baptismatum non habere in se gratiam Christi, regenerationem & Spiritum Sanctum, sed omnia haec demum, percepto externo Chrismate, donari, omninò sint distinctioni Pontificiorum contrariae, quae baptismo tribuit Spiritum regenerationis & gratiam remissionis, Chrismati vero Spiritum & gratiam Confirmationis: quare etiam posteritas coacta fuit hasce & similes, Montani Scholam respicientes, sententias mitigare.

XC III.

Neq; est, quod antiquitatis titulos hisce in veteratis abusibus & erroribus

D

bua



bus suis obducant & prædant. Errori enim longus usus & consuetudo veritatem non conciliat, ut in hanc propterea degenerare putetur, quia longo rerum usu probetur: minimè, sed est error & manet error, imò longa consuetudine in deterius vergit, & accessione humanà augeatur, tantùm abest, quod antiquitatis titulo de veritate commendetur, ut potius propterea magis eadem laboret. Differt ergo error vetus à novo nulla alia re, nisi magnitudine, itaq; uterq; cavendus.

XCIV.

Deinde quoq; parum aut nihil obtinent, quando jaclant, probatos etiam scriptores in suis libris, unctiois saepe mentionem facere. Non enim quaeritur, an quidam patres, olei, chrisomatis, unctiois, mentionem faciant? hoc enim non ignoramus: & manifesta Bellarmini calumnia est, quando Chemnitium propterea patres rejicere dicit, quia unctiois mentionem faciant. Sed hic est huius disputationis status: primò, an chrismatio & unctio veterum per omnia, cum Pontificiorum conveniat & planè eadem sit: Deinde, an baptismo detrahenda, oleo verò, chrismati & unctio, talia, tot & tanta tribuenda esse docuerint, & ex Verbo Dei veteres probarint? Id ut ex veris & probata antiquitatis scriptoribus (Apocrypha enim, supposititia & commentitia scripta, quae falsò veteribus quibusdam tribuuntur, nil moramur) probent, Pontificijs, ut labor Hercules incumbit. Nos vero negatim facillimè obtinebimus.

XCV.

Quod igitur primum, de materia & forma chrisimationis, *ἡ ἁγιωσύνη* attinet, constat magnam esse dissimilitudinem & diversitatem inter chrisma, de quo veteres loquuntur, & inter Confirmationem, sicut illa apud Pontificios servatur.

XCVI.

Quae dissimilitudo primò apparet in materia. Tertullianus enim, Clemen Alexandrinus, Basilius & reliqui in suis scriptis tantùm olei meminerunt. Sed Pontificij contendunt, si oleum non sit balsamo mixtum, quam mixturam vocent chrisma, non esse verum sacramentum, secundum Concilij Florentini decretum. Et propter hanc dissimilitudinem quidam ex scholasticis Doctoribus disputationem moverunt, an solum oleum sit de necessitate Confirmationis? Indeq; Bell. cap. 9. de Conf. asserit, esse

esse quaestionem inter Theologos, utrum Balsamū requiratur in chrisma-
te necessitate sacramenti, an solum necessitate praecipi. Tam sc: certi sunt
de mandato & essentia sui sacramenti, ut illud in dubium vocantes pro-
libitu fugant & immutent.

XCVII.

Et si ex veterum probatis scriptis, aliquid de mixtione balsami pos-
sint proferre, de quo tamen valde dubitatur, constat, quia balsamum ve-
rum, quod ex certis arboribus, ungue ferreo incis, colligebatur, cum ipsis
arboribus jamdudum defecit, etiam materiam Confirmationis, quam
Pontificij requirunt, ex rerum natura perijisse. Neq; enim fictitium balsa-
mum, eius locum implere potest, eam ob causam, quia Confirmationem
suam faciunt sacramentum, cuius materiam veram fictitia permutare,
haud concessum. Materiam igitur suam Romanenses à veteribus non
habent.

XCVIII.

Deinde in actione ipsa à veteribus longè dissident. Cyrillus enim ba-
ptizatos post baptismum chrismate inungit, primum in fronte, secundo in
auribus, tertio in naribus, quarto in pectore: Pontificij verò tradunt,
chrismationem in sola fronte debere fieri. Ambrosius de his qui initiantur
cap. 6. Baptizato post baptismum inungit caput, ut inde defluat ungu-
entum: Pontificij verò panno albo frontem obvolvunt, ne defluat. Et ne
hanc differentiam adiaphoram esse quis existimet, ipsi Pontificij contra An-
tiquitatem respondent: Si fiat chrisomatis signatio in vertice, pectore, au-
ribus & naribus, & non in sola fronte, indeq; non obvoluto panno de-
fluat, etiamsi adhibeatur eadem materia & forma, non esse sacra-
mentum.

Impositionem praeterea manuum veteribus usitatam, adhuc Hierony-
mi & Augustini aetate, in usu fuisse constat, quae jam apud Pontificios in
suà Confirmatione prorsus abolita est, in eiusq; locum alapa substituta.
Quomodo igitur in tantà discrepantiâ idem cum veteribus potest esse sa-
cramentum, nisi forsitan rusticis persuasuri sint, inflictionem alapa idem
esse, cum impositione manuum. Digni certè sunt, in quibus à rustici-
similitudo probaretur, ut ipsi experti dissimilitudinem faterentur.

D. 2.

Denig



C.

Deniq; apud veteres inunctio chrismatum non fuit peculiare sacramentum, diversum & distinctum à Sacramento baptismi. Varias enim habuerunt ceremonias, ipsi baptismi, antè & post, conjunctas. Administrationemq; baptismi definiunt, non tantum mersione, siue tinctione, sed etiam ceremonijs, eandem antecedentibus & consequentibus, ita ut hisce tota actio Baptismi absolueretur & perficeretur, ut in omnibus veterum locis, ubi ritus illi describuntur, manifestum est. Dionysius enim & Damascenus, quemadmodum & alij patres nonnulli, unktionis mentionem facientes, non illam separant à Baptismo, sed habent unktionem antè & mox post baptismum. Sed nostri Pontificij faciunt exinde peculiare sacramentum, idq; ut secundum illorum placita certius fiat, Confirmationem cum Baptismo coincidere minimè permittunt, sed ab eo avellunt, spaciùsq; aliquod benè longum intercedere volunt, ut numerum septenarium sacramentorum sartum tectum retineant & defendant.

C I.

Hinc jam luce meridianà clarius apparet, quàm belle consentiat (scilicet) Pontificia Chrismatio cum veteri Ecclesia. Frustrà igitur vetustatis suffragijs eam ornare & stabilire conantur, cum tanta sit dissimilitudo & diversitas.

C II.

Cum itaq; olim una & continua fuerit actio baptismi, unktionis & impositionis manuum, operæ pretium erit recensere, quâ occasione primò ceperit divelli & disjungi, donec tandem in peculiare & distinctum sacramentum, quod sua antithesi Baptismum longè superaret, Chrismatio degenerarit. Factum verò id est occasione triplici.

C III.

I. Quamvis nonnulli in Christianis vero baptismi baptizati ad Ecclesiam redibant, tunc non rebaptizabantur, sed vel impositione manuum vel unktione chrismatum recipiebantur, pro ritu singulis in locis usitato, cuius frequens apud veteres fit mentio. Non verò hoc idè factum est, quod heretici baptismum tantum dare soliti sint, & non Confirmationem, ut B. P. nugatur: Cap. 4. de Confirm. aut quasi Baptismus per se sit sine confirmatione & spiritu Sancto, vel ut ex illa unktione aut manu impositione peculiare facerent sacramentum: Sed voluerunt hoc ritu ostende-

stendere veteres, baptizatis antea quidem oblatae per baptismum sanctificationem, sed non salutariter acceptam, cum verâ fide caruerint, conversis vero ad veram fidem, promissionem baptismi conferri, cuius certitudo externo quodam ritu apud illos confirmetur, qui sit signum & testimonium conjunctionis cum Ecclesia in fide & charitate, & liquidò omnibus constet, baptizatum illum ab hæreticis ad orthodoxam fidem defecisse, & ideo eundem in unitatem fidei receptum, vinculo charitatis confirmari, & ad communionem omnium Ecclesie bonorum sine ulla vel suspicione vel scandali periculo admitti, teste Augustino lib. contra Donatistas 5. cap. 23. Manus impositio si non adhiberetur, ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur: propter charitatis autem copulationem, manus hæreticis correctis imponitur. Atq; hæc fuit prima occasio avulsione huius ritus à baptismo.

CIV.

II. Quando in necessitate aliquis vel à catechumeno vel à laico baptizatus erat, tunc ut baptismus ille tanquam verus & legitimus approbaretur, & confirmaretur, ductus fuit baptizatus ad Episcopum. Vi patet ex historia de Navato apud Eusebium lib. 6. cap. 33.

CV.

III. Quando in minoribus oppidis & castellis per presbyteros & diaconos quidam baptizati erant, consuetudo fuit recepta, illisq; Ecclesijs veteribus usitata, ut Episcopus ad invocationem Spiritus Sancti manum baptizatis impositurus, eosq; de fide & religione sua examinaturus excurreret, quemadmodum hanc Ecclesie consuetudinem suo tempore, describit Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos.

CVI.

Fuerunt hi ritus quidem primitus bono sine introducti, haud dubio admodum utiles, ad fidei unitatem & sinceritatem conservandam: Sed ex illis paulò post planè eterogod'ogē hauserunt opiniones, non vulgus tantum & imperiti, verum etiam Episcopi & Doctores: quasi Baptismus esset sine Spiritu Sancto, qui tunc primum daretur & acciperetur, quando Episcopus baptizatis manus imponeret, quem errorem Hieronymus graviter refutat. Hinc jam intelligi potest, quomodo Ecclesiastica illa consuetudo, postea magis magisq; degeneravit, assutis subinde novis ritibus & opinionibus, & tandem extincta luce veræ doctrinæ, ex illa peculiare &

universale sacramentum pro omnibus baptizatis fabricatum sit, quod omnino nihil cum ritibus illis veteris Ecclesiae commune habet.

CVII.

Restat nunc secundum Ζητούμενον de efficacia: An veteres saniores suis ritibus eandem Pontificiam efficaciam chrismationis tribuerint? quod clarè negatur. Nam verum quidem est patres orthodoxos non tantum unctiois, sed insuper aliarum quoque ceremoniarum, suo tempore in actione baptismi ex Ecclesiastica traditione usitatarum, mentionem facere, non vero invenimus, quod efficaciam baptismi in scriptura tributam, ijs ascribant. Non enim statim probatur Pontificia Confirmatio, quando in aliqua veterum sententia, mentio fit chrismatis. Non enim de vocabulo, nec de significatione seu commone actione potissimum, sed de re ipsa seu de efficacia, quam Pontificia Confirmatio chrismati tribuit, disputatio est. Veteres dicunt istis superadditis ritibus & ceremonijs non conferri sed tantum significari & declarari ipsam baptismi efficaciam. Aliud verò est loqui de significatione ceremoniarum, aliud de earum efficacia & operatione.

CVIII.

Ita Augustinus lib. 15. de Trinit. de unctioe loquitur, inquit: Invisibile donum gratiae, significatur visibili unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. Nec obstat, quod illam unctioem aliquando vocet sacramentum, nam & catechisationem, exorcisationem & ignem in actione baptismi, vocat sacramentum. Quicquid enim sacrae alicuius rei signum est, Augustinus sacramentum solet appellare.

CIX.

Et quamvis Cyrillus in sua catechesi (si modo eius ὑπόμνημα incorruptum scriptum est) aliquid videtur oleo exorcisato tribuere, facit tamen id non ἐξερτικῶς sed σμικτικῶς, quemadmodum ipse se explicat, cum inquit: Illud oleum symbolum est pinguedinis Christi nobis communicatae, & quod diabolica operatio in nobis deleta sit sc: in baptismo & per baptismum, cuius efficaciam baptismi, symbolum & significatio est oleum. Sententia itaque Cyrilli est, quod intelligat chrisma esse symbolum significans & admonens, quae sit Baptismi vis & ἐξέρχεται, non quod ille eam vel Baptismo detrahens, vel inter chrisma & Baptisma partiri velit. Praesertim cum ipse Cyrillus ex scriptura confirmet: Baptismum non tantum esse ablutionem peccatorum, verum etiam adoptionem filiorum, & donum S. S. Spiritus consiliare.

Hiero-



CX.

Hieronymus impositionem manus, inquit, descendere ex ea auctoritate, quod post ascensum Domini, Spiritus S. in Apostolos descendit, eamque retineri ad honorem potius Sacerdotij quam ad legis necessitatem. In eandem etiam sententiam de impositione manuum loquitur Augustinus lib. 3. cont. Donat. cap. 16. Manus impositio quid aliud est, quam oratio super hominem: Ergo non sicut baptismus, repeti non potest. Et Gratianus de illa Augustini sententia inquit: ex eo quod manus impositio iterari precipitur, Sacramentum non esse ostenditur.

CXI.

Hinc patet veteres quidem certos quosdam ritus Ecclesie Apostolicae consentientes, bonorum sine à majoribus introductos, adhibuisse baptismum, sed ex illis non peculiare sacramentum fecisse, multò minus efficaciam illis minimam, nedum illam Pontificiam, attribuisse.

CXII.

Quinimò potius, ne quis illis ritibus & ceremonijs, opinionem cultus, necessitatis aut efficaciae ascriberet, omnem regenerationis, remissionis peccatorum, illuminationis, perfectionis &c. efficaciam & ἐνεργειαν, Baptismo soli tribuerunt, quemadmodum ex scriptis illorum abundè probari potest. Clemens lib. 1. pedag. Cap. 6. inquit; Baptismum vocari gratiam, quàm remittuntur peccata: illuminationem, per quam id, quod Divinum est, percipimus: perfectionem, cui nihil deest. Tincti igitur illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur. Hilarius contra Arianos: Sacramento Baptismi verè filius Dei unusquisque perficitur. Chrysostr. in cap. 6. ad Rom. Non ad hoc tantùm valet Baptismus, quod priora delicta deleat, sed quod & ad futura cavenda munit.

CXIII.

Quare cum Pontificia Chrismatio & Confirmatio, non tantùm fundamentis etiam in speciem probabilibus careat, verùm etiam S. Scripturae sit contraria, & cum saniori antiquitate pugnet, ut hac & ἱερουργία demonstratum est, concluditur ἀποδεικτικῶς, eam Confirmationem, ut in regno Pontificio usurpatur, non tantùm otiosam esse ceremoniam, sed etiam multis insuper superstitiosis & impijs opinionibus & traditionibus contaminatam, & propterea ijs ipsis, quibus armatur, anathematis dignam.

πάντοτε θεῶν δόξα

99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17







465.
24

TIO VI.

LATIONE.

DA PARTE

NCILII TRIDEN-

arissimi viri, Dn.D.

CHEMNITII:

ta capitibus.

de Confirmatione.

am Confirmationem proba-

onis Pontificia.

utilandam

sive

GESNERO,

. in Academia VViteb.

Templo Arcis Elect.

Christiano 1604.

ANKELMANVS

iensis.

typis Meisnerianis.

